IOHANNES DE TURRECREMATA

Süddeutscher Raum, 1477 Seite 66v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



iustitie quam tu et tui docent et mansuetudinem qua
tu et tui sustinuistis patienter molestias et iniurias et iu-
sticiam habundantem quam ostendisti in tua passione offe-
rendo te deo patri pro offensa humani generis deducet te mira-
biliter maiestas tue diuinitatis que te assumpsit deducet
te per huius vite cursum et hoc mirabiliter quia mortuos
suscitabis leprosos mundabis et multa alia miracu-
la facies

Verba tua et tuorum apostolorum qui a te missi sunt ad predicandum
sicut Sagitte penetrant corda infidelium inimicorum
regis xpi qui talibus iaculis prostrati conuertentur et
sub tua obediencia humiliabuntur corde te adorantes et
qui primo non credendo erant inimici regis fient
credendo amici

4 Quinto propheta commendat xpm a iudiciaria potestate dicens
Sedes tua x iudiciaria tua et regalis potestas o deus
non est temporalis sed sempiterna disciplina regni tui equi-
tas que veraciter recta est que nulla prauitate curuatur
virga ista iustos regit et impios percutit que ab ipsa
diuinitate procedit fortitudo inuicta equitas rectissima
inflexibilis disciplina

Vere virga regni tui virga directionis quia non solum in
te iustus es sed eciam in aliis Diligis iusticiam et
odis iniquitatem propterea vnxit te deus puritate conscie
et plenitudine gratie pre omnibus sanctis

6 Sexto commendat xpm sponsum ab ornatu vestis et pul-
chritudine habitacionis dicens odores virtutum his orna-
tibus designati scilicet Mirre et gutte spirabunt de car-
ne tua qua velut vestimento diuinitas se circumdedit
et a cordibus sanctorum in quibus habitas que domus
eburnee dicuntur propter castitatem et decorem virtutum
ex quibus odoramentis omnis ecclesie quas apostoli tibi
in fide genuerunt delectabilem te habentes exultabunt
honorando nomen maiestatis tue